

Vine diu fratrum tota cum stirpe superstes

Et vestrum factis amplificato genus.

Sic GIENGER ORVM nullo morietur in ævo

Sed celebri semper laude manebit honos. Dionis: Puc.

ACADEMIA VIENNEN:

AD NOBILISSIMUM ET MA-

GNICIVM VIRVM DOMINVM

LEONHARDVM PUCHLER A WEITE-

negg Cæsareum Consiliariũ & Sereniss: Bohæm:

Regis D. Maximiliani Cancellarium, opti-

mum bonarum literarum fautorem

& patronum.

D*vm soceri claræq; domus præconia surgunt,*
Atq; suo cunctis ordine fertur honos:

Tu Gener haud quaquam nobis indictus abibis,

Vnus vt est sanguis sic erit vnus honor.

Hactenus indigno vexata Academia luctu

Quæ iacui, tristes pallida & ægra genas:

E latebris specie fæda prodire verebar,

Et mecum taciti plena doloris eram.

Fallebam solito tempus mærore diurnum,

Solabar fletu noctis opaca meo.

Audyt, vt domui casu successit EDERVS

Audyt, atq; imo pectore perdoluit.

Nec mora proripiens sese spondebat amicum,

Spondebat sacram magnus EDERVS opem.

Verba fides sequitur: primum mihi robur ademtum

Per lacera insinuat membra, labore pio.

Hinc solidum renouat fædata per ora vigorem,

Abstergens facili nubila nigra manu.

Hinc alias vires addit, morboq; represso

Præclaros nobis iungit amore viros.

Ergo vbi sceptrigeras FERDNANDVS cepit habenas,

Cæsaris ante oculos iussa subire sui.

Primus